

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

sermonum Dei, Hebr. 5. v. 12. Proinde veri Christiani sicut modò geniti infantes rationabiles & sine dolo lac concupiscant, 1. Petr. 2. v. 2. non solidum cibum, dum pro consuetudine exercitaros habeant sensus, ad discretionem boni & mali, Hebr. 5. v. ult. Sapientes enim & prudentes postponuntur, Matth. 11. v. 25. sed ex ore infantium & lactentium perfecit sibi Deus robur, Psal. 8. v. 3.

III. *Frequentissimam Sadduceismi professionem.* Plures enim adhuc hodiè se offerunt inter Christianos, qui neque Angelos, neque Diabolos, neque mortuorum resurrectionem, neque vitam æternam credunt; hæc enim fuit Sadducæorum religio, Matth. 22. v. 23. Act. 23. v. 8. Hæc in parte cum gentilibus faciebant, qui & ipsi in hæc impietate degebant, & cum Paulus Athenis de hoc articulo verba faceret, malè contenti cum ipso, dicebant: Quid vult seminator verborum hic dicere? Act. 17. v. 18. Catullus hinc ad Lesbiam suam scripsit:

Soles occidere & redire possunt.

Nobis cum semel occidit brevis lux

Nox est perpetuò una dormienda.

Annon censetis, Christianorum, quid? Epicureorum hodiè plurimos inveniri, dicentium: Fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, Sap. 2. v. 2. seqq.

Utique non pauci sunt, qui Sadducæismum impiè profitentur, si non verbis, tamen operibus. Quod omnes illi faciunt, qui peccatis contrà conscientiam indulgent. Hi licet templum frequentent, confessione & sacrâ synaxi utantur, attamen omnia frustra fiunt, sed sermo quem audie-

runt, & non fecerunt, ille judicabit eos die novissimo, Joh. 12. v. 48. edunt & bibunt sibi corpus & sanguinem Domini in iudicium, 1. Cor. 11. v. 27. quin seipsum excommunicant, & ostendunt vita sua profana, quod non pertineant in Regnum Christi, sed synagogam Satanæ, Apoc. 3. v. 9. dabuntque aliquando pœnas, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

### De Secundo.

*S*equitur *Medela*, quæ fuit

I. *Ex promptâ Christi responsione.* Est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravotum dissipat, Job. 5. v. 13.

Ideò hîc sapientiam suam ostendit *bisariam*, primò velamen removens à facie Moïsis, 2. Cor. 3. v. 13. dum purgat legem, ut Malachias de eo prædixerat, Mal. 3. v. 3. Deinde textum desumit ex Evangelio, de persona & officio suo. Sic verus Catecheta fit, è thesauro suo vetera & nova proferens, Matth. 13. v. 52. & totam sacram Scripturam in duabus quasi paginis proponit. *Prima ostendit nobis officium nostrum*, quod Deo & proximo debemus. *Alterâ* indicat, quomodo à debito liberemur, nempe beneficio sanctissimi meriti, quod tanquam filius Davidis pro totius mundi peccatis præstitit, 1. Joh. 2. v. 2.

Nos semper ad Doctorem hunc confugiamus, maxime in rebus fidei eum consulentes. Viam enim Dei in veritate docet, Matth. 22. v. 16. & talis est Dominus, cui impossibile est mentiri, Heb. 6. v. 18.

Sæpè

Sæpè accidit ut quasi in Labyrinthum incidamus, ad eò turbati sensibus, ut nesciamus, quid agere debeamus, uti Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12. Verùm hic Dominus facile expedire nos potest; est enim magnus consilio, & magnus operibus, Jer. 32. v. 19. novitque pios de tentatione eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

II. *Ex Persona Christi descriptione.* Est enim Dominus, & Filius Davidis, h. e. Deus & homo in individuo Christo. Ab æterno erat modò Deus, sicut Pater & Spiritus sanctus: sed ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum natum ex muliere, Gal. 4. v. 4. Hinc Johannes: Verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. Hoc propter salutem nostram factum. Sicut enim iris, quam Deus post diluvium in nubibus posuit, in signum fœderis, quod cum Noâ ejusque posteris pepigit, duplici colore refulget, igneo & aqueo, Genes. 9. v. 3. pari modo & Christus fons gratiæ, & Autor fœderis nostri, duabus naturis constat, ut Gr. Nazianzenus hac simili utitur, divina & humana: & tamen unus est Christus, qui mediator factus Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5.

Quod si merus homo fuisset, nos adjuvare non potuisset. Frater non redimit, redimet homo? Psal. 49. v. 8.

Quod si solus Deus fuisset, itidem redimere nos non valuisset. Deus enim est Spiritus, Joh. 4. v. 24. Spiritus vero carnem & ossa non habet, Luc. 24. v. 39. & hoc modo pati & mori non potuisset, quâ ratione opus redemptionis nunquam exantlatum. Nam sine sanguinis effusione, non fit remissio, Hebr. 9. v. 22. Quia verò simul Davidis Filius & Dominus est, h. e.

*Deus Spiritus* in una persona, de plenaria peccatorum solutione dubitare nobis non licet. Sanguis enim pro nobis effusus, non nudi hominis sanguis est, sed sanguis Filii Dei: mors, quam pro nobis sustinuit, non nudi hominis mors, sed mors Filii Dei est. Idè de Judæis dicitur, quod Duce[m] vitæ occiderint, Act. 3. v. 15. & Dominum gloriæ crucifixerint, 1. Cor. 2. v. 8.

Quando igitur Satanas peccata tibi exprobrat, noli desperare, sed dic cum Christiano illo Poëta:

Glorior in solo sanguine, Christe, tuo.  
Sicut enim Rahab in vivis servata est cum tota sua domo, ubi funiculum coccineum in fenestrâ ligavit, quo demiserat exploratores & servaverat, Jos. 6. v. 20.

Sic & nos vitam nostram conservare & salutis compotes fieri possumus, quando corda nostra signamus funiculo coccineo, sanguinei meriti, Domini nostri Jesu Christi, is enim emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8. ut extrâ nos quasi rapti, cælum patere videamus, cum Stephano, Act. 7. v. 56. & breves tribulationes, quas hîc propter nomen ejus sustinemus, pro maxima gloria reputemus, quia scimus, quod qui venerunt de tribulatione magna, laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni: aliquando ante thronum Dei futuri sint, servientes ei die ac nocte in templo ejus &c. Apoc. 7. v. 15.

III. *Ex insigni Phariseorum confusione.* Nam nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Hîc impletum illud Davidis: Non potuerunt mihi

(nocere,) Dominus enim concidit funes impiorum, Psal. 129. v. 3. 4.

Meminerimus id, quando hostes conjurant, & varia astuta consilia cudunt, ut nos deleant. Christus ante hostes vicit, & propter eum quoque nos longè vincemus, Rom. 8. v. 37. progredientes de victoria ad victoriam, Psal. 84. v. 8. non enim justificat impium, Exod. 23. v. 7. Virga & baculus ejus continuè virent, licet multi Chorites illi repugnent, Num. 17. v. 8. Veniet aliquando tempus, ubi omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur, Matth. 15. v. 13. consilium autem ejus stat, Esa. 46. v. 10. verbumque ejus manet in æternum, Esa. 40. v. 8. Quam sententiam pius ille Elector Joannes Fridericus pro Symbolo habuit, certa fiducia, quod verbum Dei delerit nunquam possit.

Quid non tentarunt gentiles Imperatores, Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Severus, Maximinus, Decius, Diocletianus, Julianus, aliique qui Christianis sacras literas planè è manibus eripuerunt, in ignem conjecerunt, & cremarunt, quin & aliis modis nefandis tyrannidem suam exercuerunt, ut non dubitaverint, quin Evangelium Christi abolituri sint? Verùm omnes pudefacti sunt, Christus adhuc sedet ad dextram Patris, inde neque Papa neque Turca eum deturbare poterit, donec venturus ad judicium, pluet super hostes suos laqueos, ignem, sulphur & spiritus procellarum, partem calicis eorum, Psal. 11. v. 6. Nos verò qui consortes Regni ejus sumus, rapier sibi obviam in aëra, ut gloriam & claritatem ejus videamus, Joh. 17. v. 24. cum eo semper futuri, 1. Thess. 4. v. ult.

## De Tertio.

**R**estat *Causela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Præceptum de caritate observa*. Sic enim respondet Servator Legis perito, quærenti de præcipuo legis mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.

Huc pertinet

I. *Dilectio Dei*, quæ, ut Christus Legis perito ex Deut. 6. v. 5. respondet, fluit, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: hoc enim majus est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis, Marc. 12. v. 33.

Equidem ad hujusmodi perfectionem in hac vita pertingere non possumus. Quia figmentum cordis humani malum est, ab adolescentia sua, Gen. 6. & 8. v. 21. anima gravatur à corpore peccati, & adhæret terræ, Psal. 44. v. 25. Animus verò magis quærit aurum, quàm Deum, Job, 41. v. 44. Sed Spiritus sancti auxilium implorandum, ut deducat nos in terra recta, Psal. 143. v. 10. & det nobis secundum divitiis gloriæ suæ virtute corroborati, in interiori homine, Eph. 3. v. 16. ut *Deum diligamus super omnia*, ita ut nihil ei præferamus in amore; *Deum per omnia*, ut eum in Filiis suis & Christum in membris diligamus; *omnibus temporibus*; non modò in prosperis, sed & adversis, quin & in morte, cum Jobo dicentes: Etiam si occiderit me Dominus, in ipso sperabo, Job. 13. v. 15. Matth. 10. v. 22.

Hæc dilectio sigillum Spiritus sancti est, quo certi sumus, nos filios Dei & salutis hæredes esse, Cant. 5. v. 6. 2. Tim. 2. v. 19.

Dilectio Dei est *pulcherrimum ornamentum*, quo Spiritus sanctus corda nostra ex-

ornat,